



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XIV. Soluuntur alia argumenta aduersus distinctionem virtualem
intrinsicam in rebus creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

199 Quod autem ad Scotum attinet, utinam tantus author nostram sententiam, utinam distinctionem virtuales amplecteretur in rebus creatis: ea quidem esset hoc nobis nomine charior, ea esset hoc patrocinio ab aduersariis tutior: fortassis tamen aliter de distinctione philosophatur ille, eamque virtuales in Deo, & formalem, actuales in nobis constituit, ut colligere est ex iis, quae differimus tract. praecedenti cap. 5. ad eius finem. En huius, quod modò absolutum est, decursu constat, quam immerito aliqui nostram distinctionem graduum cum distinctione solius rationis, siue considerationis confundant, alij verò cum distinctione formali, & ex natura rei Scotica. Quae sequuntur autem id plenum facient, aduersus non paucos haudquaquam sequi ex nostra sententia distinctionem realem graduum metaphysicorum.

CAPUT XIV.

Soluntur alia argumenta aduersus distinctionem virtuales intrinsecam in rebus creatis.

200 Tertium aduersus eam argumentum est huiusmodi. Talis distinctio virtualis datur à parte rei ante omnem operationem intellectus: ergo est distinctio realis. Respondeo, eam dari à parte rei improprie tantum, & secundum quid, sicut tenebrae à parte rei dantur: unde quemadmodum haec, etiam si ante operationem omnem intellectus dentur, adeoque re ipsa, quodammodo tamen entis realis rationem, & appellationem non merentur, ita similiter distinctio virtualis, &c.

201 Quartum argumentum, & superioris confirmatio esto. Distinctio virtualis intrinseca est eiusdem rei aptitudo ad praedicata contradictoria, siue oppositio contradictoria eidem rei conueniens, sed aptitudo illa, & oppositio animalis v. g. & rationalis est vera, & propria aptitudo, & oppositio: ergo & distinctio. In isto imprimis argumentum: imago Caesaris v. g. est formalissime homo pictus, sed est propria, ac realis imago: ergo & proprius, ac realis homo: consequens huius syllogismi est nullum; ergo, & illud, quod aduersarij efficiunt. Respondeo secundò: oppositio quidem contradictoria animalis, & rationalis v. g. eorumque aptitudo ad praedicata opposita, & contradicentia inuicem non est absolute, & sine limitatione distinctio, sed tantum distinctio virtualis, atque hoc, aliudque diminuens additum semper exposcit: quocirca ex eo, quòd sit propria, & vera oppositio, vel aptitudo, non sequitur, quòd sit absolute, & sine vlla adiectione diminuentem propria, & realis, seu vera distinctio, sed tantum propria, & vera distinctio virtualis, seu distinctio realis virtualis, ut aliter, aliterque loquuntur auctores: qua etiam ratione imago Caesaris est verè, ac proprie, & realiter homo pictus, non tamen seorsim ab ea moderatione homo.

202 Quintum argumentum, & superiorum etiam confirmatio. Aliquid esse proprie tale est esse tale à parte rei, & ante considerationem omnem intellectus: at distinctio virtualis est talis à parte rei, & antea, quam intellectus de ea quidpiam consideret: ergo est proprie, & absolute distinctio, contra, quam supposuimus hactenus. Maior, in qua est tota difficultas, sic suadetur: ob id Petrus v. g. est homo proprie, Bucephalus proprie equus, Lelapsus proprie canis, quia tales sunt à parte rei, & prius, quam

de eis quidpiam meditetur intellectus: Contra verò ob id homo pictus non est proprie homo, quia dici nequit homo, quovis intellectus picturam hominis propter huius similitudinem quoad exteriora lineamenta hominem esse fingat, aut certè velut talem eam apprehendat. Simili modo tenebrae non sunt, nec existunt proprie, quia non possunt dici existere, donec ad instar rerum existentium à nobis concipiantur. Et quidem alioqui videtur, haud posse assignari rationem communem conceptus proprii, reue proprie talis.

203 Respondeo, aliquid esse proprie tale, est ex parte rei, & ante intellectus omnem negotiationem illud esse tale; at sine vlla tamen adiectione. Hac enim de causa Petrus v. g. est proprie homo, Bucephalus equus, & Lelapsus canis; atque hoc quidem intellectu maior argumenti est verissima. Hinc autem tantum abest, sequi distinctionem virtuales esse propriam distinctionem, ut potius sequatur oppositum: nam ea non est à parte rei, & ante omnem intellectus considerationem distinctio absolute, sed distinctio virtualis: quare non erit proprie distinctio, sed tantum proprie distinctio virtualis, quod est esse absolute improprie distinctionem. Quod, si insistent neoterici, quibus plus aequo hoc placuit argumentum, quomodo-cumque aliquid sit tale à parte rei, esse proprie tale: hominem autem pictum non esse hominem pictum à parte rei, sed per intellectum, qui picturam hominis velut hominem apprehendit, nec tenebras etiam esse re ipsa tenebras, sed consideratione sola; facile conuinci possunt quoad prius; curnam enim comparatio, quam facit intellectus picturae cum homine vero, eam denominet hominem pictum, & ad hanc ei denominationem tribuendam non sufficiat analogia, & proportio illa, quam à parte rei, & nullius munere considerationis sortitur cum homine vero? Quoad posterius autem refellentur inferius lib. 4. tract. 2. vbi latè ostendam, tenebras suum esse diminutum habere à parte rei, illudque non debere intellectui, aut vlli eius actui. Adice, tum hoc argumentum tum etiam duo proximè antecedentia aperte instari in Deo, in quo à plerisque aduersariis admittitur distinctio virtualis. Quaeso enim, an ea sit realis, cum sit à parte rei, an propria, propterea, quòd sit propria aptitudo eiusdem rei ad praedicata contradictoria, an denique propria ob id, quòd sit à parte rei, & ante considerationem intellectus distinctio virtualis?

204 Sextum argumentum contra distinctionem virtuales intrinsecam graduum est huiusmodi. Omnis contradictio praedicatorum arguit distinctionem realem: perperam ergo dicimus, eam cum sola distinctione virtuali interdum esse coniunctam: consequentia est perspicua: suadetur antecedens: aliqua distinctio praedicatorum distinctionem arguit realem: ergo & omnis: cur enim vna potius, quam alia?

205 Respondeo triplicis generis esse praedicata contradictoria, quae distinctionem realem arguunt, cetera verò eam haud arguere. Imprimis duo ita comparata esse, ut alterum eorum realiter separatur quoad esse, siue existere ab alio, cum tamen neutrum à se ipso ita separabile sit, utriusque distinctionem realem ineluctabiliter infert. Rursus secundò duo ita instituta esse, ut alterum aliud realiter producat quoad primum esse, aliudque à priori sit realiter productum quoad primum etiam esse, cum tamen neutrum ita seipsum producat, aut à se ipso productum sit, utriusque realem distinctionem ineluctabiliter

inevitabiliter efficit. Tertiò demum, quoties duo aliqua eo prädita sunt genio, vt vnum alteri extrinsecum sit, & omnino extra locum, aut tempus, aut suppositum illius, nulloque modo illud intrinsecè afficiat, cum tamen alterutrum eorum sibi sit intrinsecum quodammodo, tunc profectò vtriusque distinctio realis est necessaria, & virtualis insufficiens. Non id volo, res aliquas realiter distinctas esse oportere, si vna in aliquo supposito, loco, aut tempore sit, vbi alia non existit: essentia enim diuina est in filio, in quo non est Paternitas, parique ratione fieri fortasse potest, vt formalitatem realiter earundem vna tamen alicubi temporis, aut loci sit, vbi alia non moretur. Caterùm cum duæ res ita comparatæ sunt, vt altera in nullo supposito, loco, aut tempore cum altera concurret; sed potiùs ei sit omnino extrinseca, non poterunt huiusmodi prædicata contradictoria ambas non ita fecerint, vt realem sortiantur distinctionem. Ad quam equidem valere prædicata contradictoria primi generis fundamentum habet in notissimo illo, & ab omnibus recepto principio: impossibile est idem simul esse, & non esse: secundi verò generis in alio non minùs recepto, aut manifesto, videlicet: nihil potest esse causæ sui quoad esse, saltem primarium Tertij denique generis in natura ipsius vnionis, siue intimitatis; quæ namque nullatenus vniuntur, aut sibi sunt intrinseca, ea quidem luce clarius est, realiter oportere distingui.

206 Quod autem reliqua omnia prædicata contradictoria tantam vim non habeant, ac distinctionem realem haud semper inferant, neque ex ipsis rerum naturis euidenter colligitur, quænam enim illa euidentia, aut lux, quæ in solos Nominalium oculis incurrit, pluresque, ac meliores philosophos, ac Theologos omnino latet? Nec etiam ex vnanimi, & concordi auctorum sensu id inferitur, quando Thomistæ, Scotistæ, & ex Iesuitis nostris innumeri contrarium sequuntur. Sed quid dico non esse, aut auctoritate certum, aut ratione euidentis, qualiacumque prædicata contradictoria realem arguere distinctionem, quemadmodum certum, & euidentis est aliqua eam arguere, nimirum triplicia illa nuper memorata? Quid inquam in hoc immoror, quasi verò positiui, vt aiunt, argumenti inopia laborem: quotquot rationes superius à me productæ sunt ad probandam distinctionem virtualem, quæ, quàm efficaces sint, aliorum esto iudicium, totidem persuadent, multa esse prædicata contradictoria, quæ distinctionem realem neutriquam indicant.

207 Adiciò, haud pauca esse prædicata contradictoria in Deo, quæ distinctionis realis indicia non sunt, scilicet eius essentiam communicari, & Paternitatem non communicari, illam esse ingentiam, & Filiationem genitam, &c. quid ni ergo in creaturis multa sint prædicata contradictoria cum distinctione reali nequaquam coniuncta? Hic tota infinitatis mole nos opprimunt aduersarij, & cum fastidio inculcant, Deum, quia infinitus est, prædicatis subesse contradictoriis absque essentia suæ reali multiplicitate, aut in se, aut respectu relationum; creaturas vero, cum suapte ingenio sint finitæ, siue numerositate, ac reali distinctione partium non capere opposita prædicata. Sed enim haud difficulter præcludi potest hoc effugium. Primò namque, si ex genere, & conceptu suo contradictio prædicatorum qualiscumque realem distinctionem inferret, & argueret, tota Dei infinitas efficere non posset, vt altera daretur absque altera: quo pacto quoniam esse producens, & productum, existere, & non existere intrinsecum esse, & non esse vniuersum, & genera-

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

tim distinctionem realem faciunt, ne in Deo sine illa possunt reperiri: quando igitur non obstante infinitate Dei, adhuc in eo multa sunt prædicata contradictoria distinctionem realem minime efficiencia, signum est, ea ex genere, & conceptu suo cum distinctione reali coniuncta non esse: cur ergo in creaturis omnibus, & singulis nequeant inueniri.

Instant tamen aduersarij, qualemcunque contradictionem prædicatorum in re finita realem arguere distinctionem, & cum ea coherere ex genere, & conceptu suo: proinde quamuis in Deo opposita prædicata sint absque illa; idem tamen non sequi in creaturis: hæc namque sunt finitæ, ille infinitus. Verùm infinitas Dei, & creaturarum finitas in causa est, vt Deus solus habeat ea prædicata contradictoria, quæ ex identitate naturæ diuinæ cum tribus personis realiter distinctis, quæque ex indifferentia diuinæ voluntatis cum huius immutabilitate fœderata nascuntur: item, vt solus sit omnipotens, omniscius, æternus, immensus, à se, & non ab alio; cum interim huiusmodi perfectiones nulli creaturæ conueniant: quorsum ergo ex infinitate Dei, & limitatione creaturarum inferitur, illum aliqua & has nulla subire prædicata contradictoria, sine distinctione reali: quasi verò Deus aliter infinitus esse non posset, aut creatura vlla finita, suisque carceribus circumscripta.

209 Vtteriùs, si quæ in creatis prædicata contradictoria suscipiunt, ea realiter distingui debent; an quia ea subeunt, an potiùs, quia sunt finita, & limitata? prius illud distinctionis realis esse nequit argumentum, vt claret in Deo, cui prædicata contradictoria conueniunt, quin propterea sit in se realiter multiplex, atque distinctus: posterius etiam eius signum, indiciumve esse non potest, vt cernere est in homine, & animali rationali, qui sancti conceptus finiti sunt, & tamen realiter indistincti. Quod si vtrumque collectim distinctionem realem inferre dicatur, id opus est explicari, cur quæ singularim sumpta distinctionem realem non inferunt, ea coacervatim, & iunctim accepta illam efficiant.

210 Rursus essentia, prout virtualiter distincta à relationibus, & harum quælibet prout etiam virtualiter distincta ab essentia est simpliciter infinita: & tamen non habet prædicata contradictoria: haud enim natura diuina communicatur, & non communicatur, generatur &c. haud etiam aliqua trium relationum, quibus est personata: quorsum ergo in præsentì obtruditur infinitas ad tuendam contradictionem prædicatorum sine distinctione reali? Quod si respondeant aduersarij iuxta dicta tract. præced. cap. 3. essentiam diuinam quantumvis infinitam, haudquaquam suscipere prædicata contradictoria formaliter, cuiusmodi sunt communicari, & non communicari, generari, & non generari, &c. quoniam merito suæ infinitatis subit prædicata virtualiter contradictoria, cuiusmodi sunt esse Paternitatem, esse Filiationem, ac Spirationem passiuam, siue, quod perinde est, identificari cum extremis realiter distinctis, prædictarum etiam relationum quamuis similiter identificari in tertio saltem, & mediatè, id est interstitio essentia cum rebus realiter distinctis; quod si, inquam, ita respondeant aduersarij (aliter autem me iudice non possunt) locum nobis dant nostræ sententiæ efficaciter confirmandæ; tantùm abest, vt satisfaciant. Namque essentia diuina (par autem ratio relationum) si est infinita, quia, licet non subeat prædicata formaliter

contradictoria, subit tamen prædicata virtualiter opposita, & extremis realiter distinctis identificatur; quidni è contrario quævis res creata sit finita, & imperfecta, quia tamen suscipiat prædicata formaliter contradictoria; non tamen virtualiter talia, nec committit identificari se instar naturæ diuinæ cum rebus realiter distinctis, pro eo, ac expendimus in Dialectica lib. 8. tract. 2. cap. 2.

211 Deinde: contradictio prædicatorum iuxta aduersarios in creatura finita semper arguit distinctionem realem; si ergo propter infinitatem Dei in eo talem distinctionem non infert aliquando, eam nunquam inferet. Consequens est absurdum, & manifestè falsum: ergo, & illud prius, vnde sequitur. Tandem quid refert, creatorem infinites perfectiorem esse creaturis omnibus ad hoc, vt illius solius sit proprium, prædicata opposita sine numerositate, ac distinctione fortiri? Nam vna creatura, saltem multis inuicem distinctis perfectior est, & quidquid est in eis præstantiæ, eminenter, non solum continet, sed etiam superat: quæro ergo, cur hoc satis non sit vt id genus creatura aliqua fortitur prædicata contradictoria, sin minus totidem, ac talia, quot, & qualia Deus optimus maximus?

212 Aliter eidem argumento de quo hætenus, responderi potest iuxta solutionem adhibitam ei, quod cap. præcedenti primo loco propositum est, omnia scilicet, & qualiacunque prædicata contradictoria realem arguere distinctionem in re, saltem creata, & finita, ei si conueniant specificatiue, & non tantum reduplicatiue, absolute, & non duntaxat conditionate, reipsa, & non solum ratione obiectiua. Cedo enim res vllas realiter distinctas, quibus ita opposita aliqua prædicata non competant? Atqui animalitati, v. g. & rationalitati, quamuis congruant quedam prædicata contradictoria inuicem; non tamen prædictis modis. Haud enim animalitate confuse cognita, dici potest, rationalitatem specificatiue sumptam non cognosci, sed tantum cognosci, prout est rationalitas: haud illa cognita hanc absolute non cognosci, sed tantum fore, vt non cognosceretur per actum illum obscurum, & abstractiuum, si per impossibile auelleretur ab animalitate, cum tamen ista, facta cuiusmodi hypothesi, talem terminaret actum: haud denique rationalitatem non cognosci re vera, quin potius illam non esse rationem cognoscendi, sed animalitatem solum: quid est ergo, quapropter hæ formalitates merito prædicatorum contradicentium distingui debeant realiter?

213 Tertiò responderi potest eidem argumento iuxta posteriorem solutionem eius, quod initio capituli præcedentis obiectum est; quæcunque videlicet prædicata opposita efficere distinctionem realem, eorum alterum si conueniat vni extremo positiue, & alterum alij negatiue, ac non præcisiue duntaxat. Quæ enim res realiter distinctæ assignari possunt, quibus non conueniat esse, v. g. à me cognitam alteram, & alteram non cognitam negatiue, ita vt particula, non, minime vim habeat solius præcisionis, sed potius negationis suapte natura malignæ, ac prohibentis, ne penes aliquid sui dicatur cognosci. At cognita animalitate per notitiam confusam, & abstractiuam, haud dicitur rationalitas non cognosci negatiue, sed tantum præcisiue, cum videlicet simul dicatur propriè, ac verè cognita munere rationalitatis secum realiter identificatæ, & eam sortientis denominationem, vt explicatum est abundè loco nuper memorato, quosum ergo distinguantur realiter?

214 Ex tribus responsionibus sexti argumenti hucusque propositis constat, & ruditer, & in legendis

auctoribus incuriam prode quosdam aduersarios nostros, qui idcirco reiciunt distinctionem nostram virtualem, quod eâ semel admissâ, nullum suppeteret argumentum distinctionis realis inter Petrum, & Paulum, aliave quævis entia, quin potius alioqui foret, vt vnitas realis, & confusio rerum omnium, quam Parmenides, & Melissus commenti sunt, velut probabilis defendi posset. Si enim, inquit, animalitas, & rationalitas, quamuis obnoxie prædicatis contradictoriis, haud tamen distinguuntur reipsa, sed virtute sola, quidni idem dici possit, ac debeat de Petro, & Paulo, & quibuscumque aliis mundi rebus, quantumuis prædicata contradictoria admittant? hoc ergo, ne sequatur, id statuendum est, vbicunque visuntur prædicata contradictoria, ibi concedendam esse distinctionem realem. Hæc illi.

215 Sed quod non quorumuis prædicatorum contradictio sit argumentum distinctionis realis, eiusque veluti Lydius lapis, claret ex dictis hætenus. Et quidem cum P. Suarez disp. 6. metaphys. sect. 2. summa exactione colligat signa omnia distinctionis realis nusquam, & nunquam mentionem facit contradictionis prædicatorum, quasi hæc, qualiscunque sit, distinctionem realem arguat, sed tantum statuit velut signa, & indicia distinctionis realis tria illa, quæ à nobis proposita sunt paulò superius. Cum ergo ea vbiuis non reperiuntur, cur distinctio realis admittenda sit vbicunque? aut cum locum habeant in Petro, & Paulo, aliisque multis rebus, quid est, quapropter omnium sequatur identitas, atque confusio? Rursus fac, qualiacunque prædicata contradictoria coherere cum distinctione reali conceptuum, quibus conueniunt, id certè intelligendum est, eis si ritè, & aptè competant: & quidem vti ad effectum formalem cogniti, amati, &c. multum interest, quo pacto communicetur subiecto quælibet earum formarum; & ideo amor contritionis, v. g. non denominatur peccatum amatum, quia ei non communicatur immediate, nec ad illud proximè terminatur, & vt amor est, sed tantum vt odium; ita etiam ad distinctionem realem inferendam spectandum magnopere est, qua ratione conueniant prædicata contradictoria ex quibus videtur inferri. Haud ergo animalitas, v. g. & rationalitas censendæ sunt realiter distinctæ propter contradictionem prædicatorum: haud contra ea contradictione non obstante Petrus & Paulus atque quævis aliæ res mundi censendæ sunt realiter non distingui. Aliter enim & aliter de realitatibus ac de rebus verificantur prædicata contradictoria: de his scilicet specificatiue, absolute, reipsa, & negatiue: de illis verò tantum reduplicatiue, conditionate, causaliter seu ratione obiectiua, & præcisiue: vt latè explicatum est est supra in primi argumenti secunda ac tertia solutione.

216 Septimum argumentum aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis; quo etiam corroboratur superius. Omnis oppositio, aut est contraria, aut subcontraria, aut subalterna, aut denique contradictoria: hæc autem postrema, quæcunque, & & vbicunque sit, tres priores species superat: omnium ergo oppositionum est maxima. Tum sic: quæuis oppositio contradictoria est summa, & maxima: siqua ergo distinctionem realem infert, quæuis eam inferet: vel certè non omnis erit suprema, & maxima, ea videlicet, quæ instar aliarum haud sit vi inferenda distinctionis realis prædicta.

217 Verum in primis sunt, qui oppositionem contradictoriam summam esse negent, & contrariam maiorem esse existiment, de quo vide dicenda inferius lib. 3. tract. 8. cap. 3. Rursus transeat, oppositionem contra

contradictoriam quamlibet summam, & omnium maximam fortassis esse. Ceterum id genericè intelligendum est, quia videlicet inter genera oppositio- num præcipuum & magis rigorosum est illud, quod contradictio vocari consuevit. Haud tamen omnis est specificè summa: namque intra genus oppositio- nis contradictoriæ datur latitudo, vnaque contra- dictio est maior alia: sicut tamen, genus substan- tiæ v. g. sit supremum in eo tamen reperitur inæqua- litas, & quod aiunt, magis, & minus, vnaque substantia maior alia est, Deus scilicet Angelo, hic homine, iste brutis animalibus. Hinc ergo nascitur, vt vna oppositio contradictoria inferre possit di- stinctionem realem, & non alia: vna quippe speci- ficè maior est, quam alia, tamen si sint genericè æquales.

218 Præterea ratio nobis obiecta, in Deo manifestam habet exceptionem. Namque in eo haud vna prædi- catorum contradictio visitur: aut ergo omnis, & quæuis est summa? aut vna est maior alia? si hoc se- cundum dicatur, quid prohibet, oppositionem contradictoriam in omnibus, & singulis creaturis eiusmodi esse, & tamen eam suscipere magis, & minus, aliamque alia maiorem esse, vtique specificè? Sin autem prius dicatur, cur sicuti in Deo oppositio contradictoria, adeoque summa, vel omnino, vel certe cum moderatione illa, *ex genere suo*, nihilo- minus distinctionem realem non semper efficit, sed cum ea est aliquando coniuncta, aliquando verò ab ea seiuncta, id ipsum in creaturis non vlueniat? planè, vt hæc argumentatio *omnis oppositio contra- dictoria est summa, sed aliqua distinctionem realem arguit: ergo & omnis*, sicut in Deo, sic etiam in re- bus creatis infingatur. Animus non est, identitatem realem cum contradictione prædicatorum in creatu- ris propterea conciliat, quod in Deo id contingat: hic enim infinitatem Dei infinites aduersarij nobis obiciunt. Illud tantum in præsentia contendo, oppo- sitionem contradictoriam in rebus creatis non semper summam esse, aut, esto, eiusmodi sit, haud semper distinctionem realem inferre, quando quidem in Deo simile quidpiam accidit. Hic autem arguen- di modus nulla potest exceptione repelli, aut refelli: nam infinitas potius conducit, vt quidquid est in Deo, sit summum: ea ergo non obstante, si quando oppositio contradictoria in Deo non est summa, cur esse debeat in nostra tenuitate, & imperfectione semper summa? Rursus si in Deo quæuis prædicato- rum contradictio est summa, & tamen aliqua, non obstante infinitate, cum qua est coniuncta, patitur se vinci ab alia quoad vim inferendi distinctionem realem, à fortiori, vt aiunt, in nobis, qui finiti sumus, & imperfecti, contradictio prædicatorum summa quodammodo erit, tamen si aliquando sit alia inferior, quoad effectum distinctionis realis. En quatenus infinitatis effugium aduersariis hic magis obsit, quam proficiat.

C A P V T XV.

Aliorum argumentorum aduersus distinctionem virtualem intrinsecam in rebus creatis Solutio.

219 O Crauum aduersus eam argumentum sic se habet. Si animalitas v. g. & rationalitas virtualiter in- trinsecè distinguerentur, nulla esset ratio, cur etiam realiter distinctæ non essent. Quo enim argumento impugnari posset is, qui realiter eas distingueret ma-

gis, quàm eas virtualiter distinguens? Aut cur nam, quod sint separabiles in operando, alteraque sentiat, altera verò non sentiat, sed discurrat, ad illarum distinctionem realem non sufficiat perinde, ac si ef- sent separabiles in existendo, vnaque sine alia posset existere curvè itidem vnam producere quidpiam, quod non producit alia non arguat in eis distinctio- nem realem, perinde, ac si vna esset producens alte- rius, & hæc à priori producta.

220 Respondeo primum, multas rationes oppugnare distinctionem realem animalitatis à rationalitate, quæ aduersus earundem distinctionem virtualem non procedunt. Namque cum homo sit animal per materiam primam, & animam suam, & sit etiam ra- tionalis per vtriusque complexionem, nequit distin- gui realiter in homine animalitas à rationalitate, & ab ea esse alia, quin in eo sit alia realiter, aliaque materia, non extensivè tantum, sed veluti intensivè, & in eodem loco, vt adminiculo vnus sentiat, & præsidio alterius dependenter à sensatione discurrat, ac ratiocinetur, & quin etiam in eo sit duplex reali- ter anima, nimirum sensitiva, & rationalis. At quod homo non constet duplici, ac distincta realiter materia prima inuicem penetrata, evidens est: tum, quia penetrationem corporum naturaliter impossibi- lem esse testatur experientia fulminum, ac teræ mo- tum: tum, quia altera materia non esset prima, vt pote quæ sensitivam supponeret, imò non materia esset, sed forma: tum etiam, quia ineptè diceretur in sacris, & prophanis litteris hominem constare corpore, & anima, cum non corpore, sed corpori- bus coalesceret. Quod verò homo duplici, ac di- stincta realiter anima non constet, haud est fermè minus exploratum: namque plerorumque philoso- phorum sententia est, duas formas substantiales etiam subordinatas, alteramque animalem, & alte- ram inanimem simul coniungi in eadem materia non posse, vt in physica vidimus, & verum esse osten- dimus: multò ergo minus duæ animæ componi po- terunt in corpore eodem: deinde earum in vno cor- pore composibilitas damnata est in 8. Synodo gene- rali, quæ est Constantinopolitana 4. can. 11. Tan- dem alioqui fiet, vt sint in homine infinitæ animæ realiter distinctæ, cùm non solum sensationes, & ra- tiocinationes aliquas, sed harum operationum infi- nitas valeat producere. Sed de his latè, & ex profes- so in physica: de quibus etiam videri potest P. Sua- rez disp. 15. metaph. sect. 9. à num. 17. Hæc autem omnia, cùm probent animalitatem, & rationalita- tem non posse realiter distingui, nihil eorum vtrius- que distinctionem virtualem, vel leuiter labefactat, vt intuenti clarebit.

221 Iam quod ad secundam principalis obiectionis partem attinet, separabilitatem in existendo esse in- fallibile signum distinctionis realis, & à nobis osten- sum est cap. præcedenti, & id tuentur Bernardus ser- mone 80. in Cantica, Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. & plures alij Patrum: item Aristoteles lib. 7. topicor. cap. 1. loco. 15. & cum eo Suarez vbi supra, & communiter ceteri scholastici. At nullus fermè classicus author (quoties extra hanc controuersiam rem tractat) separabilitatem in operando velut cer- tum indicium distinctionis realis tradit: nec verò potest id quisquam suppositis nostræ fidei principiis: Paternitas enim, vt quod producit realiter Filium, quem tamen natura diuina, vt quod non producit: & tamen natura diuina, & Paternitas realiter non distinguuntur: vniuersim ergo loquendo separabili- tas in operando distinctionem realem haud arguit, cùm tamen eam separabilitas in existendo nusquam